44 *In uocatos ad dirigendum moniales in electionibus non abſtinentes ab his, unde oriri poſſit diſcordia in ipſis electionibus faciẽdis.*

Diſpenſatio omnium uotorum ſeu commutatio reſeruatur Epiſcopis *præter diſpenſationem, et commutationem uoti* Ieroſolimi, San*cti* Iacobi, Sanctorum, Petri, *&* Pauli *Romæ. Religionis, & caſtitatis quæ* Papæ *reſeruantur.*

Præter has excommunicationes quædam peccata Epiſcopi ſibi reſeruant & communiter ſunt iſta infraſcripta, oportet confeßores informari in omnibus diocœſibus. quæ ſibi alia reſeruant.

Falſum teſtimonium: P*eriurium iudiciale: inceſtus: ſtuprum. ſacrilegium: falſum inſtrumẽtum. coitus cum iumentis inobedientia tenentium infantes in lectulis uidelicet ſimul cum patre & matre, uel alijs:* Homicidium *omne præter caſuale. ideſt non uolitum nec intentum. & multa alia quæ ſunt in arbitrio Epiſcopi. quæ agnoſcenda dimitto confeſſori, qui debet ſcire a ſuo ordinario a quibus poteſt: & a quibus non poteſt.*

Digitized by Google

MANVALE PARVVM PRO CONFESSORIBVS.

FIDES.

Donum intellectus & donum ſcientiæ.

Vitia oppoſita dono intellectus, & dono ſcientiæ ſunt iſta.

Infidelitas: triplex, videlicet	*Paganorum.*
	Iudæorum.
	Hæreticorum.

PECCATA *ſunt mortalia, quibus ſi teneatur peccator hæreticus eſt. nec poteſt abſolui niſi a Papa.*

Hæreticorum eſt abnegare diuinitatem filij Dei, uel aliquem articulum fidei, & alia, quæ tenet ſcriptura, & ſancta Eccleſia.

Hæreſis duplex.	De *manifeſtis*
	& ambiguis.

Manifeſta eſt, quando quis tenet contra ea, quæ

Digitized by Google

quæ tenet ſancta mater Eccleſia.

Ambigua, quando quis determinat præſumptuoſæ, quæ nondum determinauit Eccleſia. puta aſſerens aquas, quæ ſuper cælos ſimiles eſſe aquis inferioribus, uel ignem inferni ſimilem, uel diſſimilem. Adherere uni parti aſſertiue hereticum eſt, his infligitur pena excommunicationis, ſi actu exteriori protulerit homo: Papæ reſeruatur.

Apoſtaſia triplex: { *a Fide* / *a Religione.* / *ab Ordine*

Apoſtaſia a fide peior eſt hereſi, reſeruatur Papæ.

Apoſtate a Religione ſunt excommunicati, reſeruantur ſuis generalibus.

Apoſtate ab ordine reſeruantur Papæ *loquitur de ſacris ordinibus incipiens a ſubdiaconatu.*

Blasfemia duplex. { Cordis & / Oris.

Cordis ſecundum opinionem intellectus, & ſecundum affectum derogando diuinę bonitati.

Si exterius prodeat per locutionem eſt oris: grauiſſimum peccatum.

Blasfemiæ

Blaſfemiæ in ſpiritum ſanctum ſunt ſex.	Deſperatio. Præſumptio. Impenitentia. Obſtinatio. Impugnatio ueritatis agnitæ. Inuidentia fraternæ gratię.

Iſta peccata ſecundum ſe reducuntur ad unũ ſcilicet nolle pœnitere, quòd nunquàm remittitur: tamen omnia remittuntur, ſi dimittuntur.

Vitia oppoſita ſcientię, & intellectui.

Cecitas.

Cecitas eſt priuatio principij mentalis circa diuina agenda.

Hebetudo.

Hebetudo eſt Debilitas mentis circa conſideratione͂ ſpiritualium donorum. peccata iſta ſunt mortalia, quia uolũtaria], puta cũ faſtidit peccator audire ſpiritualia, quibus illuminatur, Cecitas ex luxuria naſcitur: Hebetudo a gula.

Donum timoris.

Spes.

Vitia oppoſita.

Deſperatio.

Deſperatio, deſperatus non eſt audiendus in reſipiſcat, & ſperet. Spes enim neceſſaria eſt ad ſalutem.

Præſumptio.

Pręſumptio eſt qua homo ſperat aliquid poſ-

ſe

ſe conſequi a Deo *, quod impoſſibile eſt ſecundum diuinam legem mortale eſt , opponitur deſperationi.*

Vitia oppoſita timori.

Audacia peccandi eſt Deum *non timere punitorem, leges ſuas deſpicere, inſultare authotati ſcripturę, & eccleſiæ.*

Timor filialis, & ſeruilis propallandi ſunt.

Charitas.

Vitia oppoſita charitati.

Odio habere Deum.

Odio habere Deum *, & ſua . Euangelium, bonum, ueritatem, correctiones, & omnia eccleſiaſtica , peccata ſunt diabolica : uenia datur. ſed difficulter . maximum peccatorum eſt odio habere* Deum*, omnium benefactorem . hic interrogandi ſunt confitentes de blasfemia : al deſpetto, al ſangue, al corpo, putan. ſubtiliter de* Deo*, Virgine, &* Sanctis *: & rebus ſanctis, & ſacris , auerte de blasfemia , & iuramento uano .*

Accidia.

Accidia eſt torpor mentis bona negligens inchoare , negligere diuina, uerbum Dei, Miſſas, Confeſſiones, Communionem, proximo ſuccurrere, nimis timere mortem . Vnum cole Deum. Nec *iures uana per ipſum. Sabata ſanctifices.* Locus *iſte eſt horum præceptorum.*

Inuidia

Digitized by Google

Inuidia duplex. { De bono ſpirituali.
De bono temporali.

Inuidia eſt triſtitia de alieno bono, ſiue temporali, ſiue ſpirituali.

De ſpirituali eſt quando quis triſtatur, quòd aliquis benefaciat, uel quòd habeat gratiam Dei, eo modo quo poteſt ſciri.

De temporali eſt, quando quis triſtatur de honore, ſanitate, diuitijs, proſperitate, & uita proximi, quando gaudet ſuper morte alicuius, dolet de bonis fortunæ. Primum, uidelicet de bono ſpirituali grauiſſimum eſt peccatum, propinquum peccaro in ſpiritum ſanctum. Secundum mortale eſt.

De iniuſtitia, qua damnũ infertur proximo.

Furtum.

Furtum eſt occulta ablatio, peccatum mortale eſt, tenetur reſtituere.

Teſtimonium falſum.

Teſtimonium falſum. clarum eſt, ſed extra iudicium uertitur in mendacium pernicioſum. mortale eſt, conſidera materiam: quia aliquando tenetur ſatisfacere, & ſibi ipſi contradicere, tamen cum grano ſalis.

Contumelia.

Contumelia eſt uerbum quo quis malum culpæ in proximum profert, mortale eſt, (ſi non ſit ex ioco, quia tunc eſt ueniale. Hic locus eſt obro-

Digitized by Google

oprobriorum quę frequentia ſunt inter Chriſtianos.

Detractio

Detractio eſt ſermo quo quis famam proximi denigrat mendaciter, uel occulta proximi uera tamē manifeſtat malo animo, mortale eſt.

Suſurratio.

Suſurratio eſt obloquutio ad tollendam amicitiam, & charitatem fraternam, mortaliſſimum peccatum eſt. ſex ſunt quę odit dominus, & ſeptimū deteſtatur anima eius, ſcilicet eum qui ponit inter fratres diſcordias.

Maledictio.

Maledictio eſt qua quis imprecatur malum proximo, mortale eſt. Habeas in honore parentes.

Deriſio.

Deriſio eſt deſpectio uerbalis, uel actualis puta naſo, &c. mortale eſt, ſi non fiat ex ioco.

Venditio iniuſta.

Decipiens cum ſtateris, & menſuris, & de monetis falſis, & de monetarijs. Clara ſunt: et peccata mortaliſſima ſunt. de ſatisfactione eſt cogitandum ſecundum formam, & materiam.

Vſura.

Vſura eſt lucrum ex mutuo. Peccatum mortale eſt. tenetur ad reſtitutionem, forma & materia iſtius caſus ſunt ualde conſideranda.

Digitized by Google

Non furaberis.

Votum non reddere.

Vouete, & reddite domino Deo ueſtro, uotum eſt promiſſio facta Deo de bono, requiritur libertas uouendi, & ætas: uoti uiolatio peccatum eſt mortale. Diſpenſatio uoti, religionis, & caſtitatis reſeruatur Papæ. Item *uotum terræ ſanctæ.* Item *Compoſtellæ ſancti* Iacobi, & *eccleſiarum S. Petri, &* Pauli *Romę, tamen aduerte confeſſor, quòd nullum uotum remittitur, aut commutatur ſine licentia maiorum prælatorum, et nunquàm commutatur niſi de bono in melius: conſideranda eſt materia.*

Iuramentum falſum.

I*uramentum falſum eſt, quando quis iurat contra iudicium, iuſtitiam, & ueritatem, mortale eſt.*

I*urare per creaturas: quãdo in illis non intelligitur* Deus, *mortale eſt: iurare per* San*ctum* P*aulum, quatenus in illo eſt* Deus *non eſt mortale, conſidera de illis qui iurant per cœlum, terrã, aquam, ignem, carnes, lapides, &c.*

Superſtitio duplex. { Pernicioſa. / Superflua.

Superſtitio eſt error circa diuinum cultum: P*ernicioſa eſt quando lucri cauſa, ſtatuas, ſeu imagines Crucifixi, ſeu beatæ Virginis falſæ afferuntur: mortale eſt.*

Superflua

Digitized by Google

Superflua cum non ordinatur ad cultũ Dei, ueniale eſt, ſi non adeſt contemptus, aut ſcandalum, quia tunc eſt mortale.

Ars notoria. Ars notoria.

Superſtitio.

Superſtitio lapidum, herbarum, lignorum, & imaginum, & carminum, utendo iſtis ad ſanitatem mortale eſt.

Idolatria.

Idolatria eſt, cum quis alteri quam Deo uero, cultum diuinum exhibet, mortale eſt.

Incantatio.

Incantatio. incantationes, id eſt manifeſte inuocationes dæmonum mortale eſt.

Negromantia.

Negromantia eſt qua diuinatur per mortuos, ſeu perſonas mortuorum. agentes dæmones, ut dicitur de Saule Rege, *peccatum eſt magnum ualde, utpote ad inuocationem dæmonum recurrens.*

Inuocatio dæmonum ad auxilium peccatum mortale eſt. ad habendas gratias, uel fauorem, uel honorem, uel gratias eis agere, mortale eſt. quod non fit ſine abnegatione fidei mortale eſt.

D*iuinatio.*

Diuinatio eſt indebita uſurpatio cognitionis euentuum futurorum, pręteritorum, aut præſen

Digitized by Google

tium ocultorum,peccatum mortale eſt pro quanto mittitur dæmoniaco auxilio, aliquando ueniale eſt.cum nõ adeſt dæmoniacum auxilium: ſed ſola uanitas,tunc ueniale eſt.

Tentare Deum.

Tentare Deum eſt explorare diuinam potẽtiam. Scientiam,& uoluntatem,peccatum eſt mortale,cum ſit ex intentione Deum tentandi.

Periurium.

Periurium eſt iuramentum falſum, quando ſit cum intentione non obſeruandi, & quando non adimpletur,mortale eſt.

Sacrilegium triplex, uidelicet quando iniuriatur,ſeu irreuerentia committitur rei ſacræ: cum perſona ſacra læditur.fractio uoti,puta fornicatio clerici, uel monialis; aut dehonoratur, uel offenditur locus ſacer,rapina,ſanguine, & ſemine humano, aut quomodocunque:de eccleſia faciendo ſtabulum, uel lupanar uel aula, ad fornicandum.& debachandum.

Incendium.

Incendium clarum eſt mortaliſſimum ſecundum materiam.reſeruatur Papæ, uel Epiſcopo.

Simonia.

Simonia eſt uenditio ſacræ rei; mortale eſt. conſidera materiam formam: quia aliquando reſeruatur Papæ,aliquando Epiſcopo. Ideo prudenter agendum eſt.

Ino-

Inobedientia.

Inobedientia eſt non obedire maioribus legitimis: patri & matri. Papæ & Epiſcopis. & Curatis & dominis tēporalibus, in bonum reipublicæ, & ciuitatis & patriæ. conſidera perſonam, & inuenies qualitatem peccati, ſæpe mortaliſſimum inuenies. & ueniale aliquando.

Ingratitudo.

Ingratitudo eſt quando perſona non refert benefactori gratias, loco & tempore: Deo primo pro beneficijs creationis, & redemptionis, & alijs. Inde, ad alios benefactores tranſeundum.

Vitia paci oppoſita.

Diſcordia.

Diſcordia triplex. { *Cordis* / *Oris* / *Operis* } *Clara ſunt.*

Diſcordia: *fit tripliciter, ſcilicet* { *Sciſmate* / Rixa / Bello }

Sciſma eſt ſeparatio ab eccleſiæ unitate ex intentione, utpote contra unitatem eccleſiæ.

Rixa, eſt contentio facta inordinato animo, cum inuadit quis proximum.

Bellum iniuſtum clarum eſt. mortalia omnia. Sed ſciſma reſeruatur Papæ. propter &c.

Contentio.

Contentio eſt pugna locutionis non ſecundū

rationem

Digitized by Google

rationem quo ad modum,& quo ad rem.filia eſt innanis gloriæ peccatum eſt mortale; quando uerum oppugnatur,uel abſconditur: ueniale eſt cum ſit cauſa diſputationis & exercitij.

Seditio.

Seditio eſt diſſolutio pacificatæ multitudinis: peccatum mortale eſt. aduertenda materia eſt, quia maius peccatum eſt quando eſt circa diuina, circa humana nõ adeo graue, licet poſſit eſſe mortale ex damno proximo facto.

Scandalum.

Scandalum eſt dictum, uel factum minus rectum, occaſionem prebens ſpiritualis ruinæ, ſi committitur, ut mortaliter peccet proximus, mortale eſt,ſi uenialiter,ueniale eſt.

Homicidium.

Homicidium clarum eſt mortale,ſemper reſeruatur Epiſcopis, filijs & uxori occiſi debet occiſor præbere uictum,& ueſtitum.

Mutilatio membrorum.

Mutilatio membrorum clarum eſt mortale eſt,tenetur auxiliari peccator offenſo ſi,non ualet laborare,ut acquirat uictum propter mutilationem.

Illatio iniuriarum.

Illatio iniuriarum.ſpurcisſimæ iniuriæ proferuntur a chriſtianis interrogandæ diffuſe. Non occidas.

Vitia

Digitized by Google

Vitia oppoſita Dono ſapientiæ.

Stultitia.

Stultitia de qua eſt ſermo eſt hebetudo, quæ per ſtuporem non mouetur ad tam Magnifica; quæ prædicat ſancta mater Eccleſia de Ieſu Chriſto, & fundamento eccleſię miraculoſo: Naſcitur quandoque propter infirmitatem humanam, quandoque a nimia uoluptare terrenorum. tunc mortale peccatum eſt: peccatur etiam contra donum ſapientiæ cum quis tantum deſiderat ſcire, ut ſciat & non ut efficiatur bonus: quia ſcientis eſt ſcire, ſapientis ſcire & operari bonum, de his Paulus Apoſtolus, *qui cum cognouiſcent* Deum *non ſicut Deum &c.*

Donum *conſilij.* Vitia *oppoſita Dono conſilij.*

I*mprudentia.*

Imprudentia eſt negligentia, qua quis non adhibet ſtudium ad proficiendum quod intendit peccatum hoc in rebus maximis. & pertinentibus ad ſalutem animæ ſuæ, & proximi, uel ad honorem & utilitatem uniuerſalis eccleſiæ, mortale eſt: & reducitur ad accidiam.

Precipitatio.

Precipitatio eſt prout hic accipitur methaphorice a precipitatione, quæ fit a loco alto ad ima per corporalem actum. Sic *quando quis operatur ſpiritualia, uel mortalia, non incidit per debita media, precipitat cum errat, ſicut ſupradictum*

dictum eſt in damnum animę, eccleſię, & proximi, poteſt eſſe mortale propter circunſtantias.

Inconſideratio.

Inconſideratio eſt defectus recti iudicij quo non recte fit quod intenditur. Veniale eſt: ſed mortale poteſt eſſe, quando eſt reſpectu eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis.

Incoſtantia.

Inconſtantia eſt retroceſſio a bono propoſito, in honorem dei, eccleſiæ, animę ſuę, & proximi: mortale eſt: uel ueniale ſecundum ſuam materiam. Peccata iſta naſcuntur a luxuria.

Negligentia.

Negligentia eſt remiſſio bonę uoluntatis, qua contingit ut ratio non ſolicitetur, ut præcipiat quę debet. Mortale eſt quando negligitur quod eſt de neceſſitate ſalutis, uidelicet quando negligitur Euangelium, & pręcepta diuina & eccleſiaſtica bona dimittuntur. & proximi & patriæ. ueniale poteſt eſſe, conſidera materiam.

Prudentia carnis eſt quando quis carnalia habet pro ultimo fine: mortale eſt, ſi totaliter auertitur a Deo.

Aſtutia.

Aſtutia eſt ad aliquem finem progreſſus per doloſas uias: mortale eſt, ſi eſt proximo nociua

Digitized by Google

in anima, & in rebus: poteſt eſſe ueniale in re parui momenti, uel iocoſe.

Dolus.

Dolus eſt aſtutię executio, ſiue per facta, ſiue per uerba facta ad decipiendum mortale eſt: uel ueniale ſecundum materiam.

Fraus.

Fraus idem forte eſt quòd dolus, mortale eſt: uel ueniale, cōſidera materiam. peccata iſta naſcuntur ex auaritia: non concupiſces rem proximi tui.

IVSTITIA.

Vitia oppoſita Iuſtitię.

Iniuſtitia.

Iniuſtitia eſt quæ non reddit unicuique quod ſuum eſt. mortale eſt: maxime quando fit ex intentione, uel fiat per craſſam ignorantiam. ueniale aliquando, cum fit in primo actu, uel in re minima.

Reſtitutio.

Reſtitutio eſt *iterum dominum ponere in poſſeſſionem rei ablatæ, ſiue per furtum, per fraudem, per dolum: ſiue quomodolibet. De rebus, de fama, de honore loquimur: de hoc aduertēdum, quia in hac materia multæ ſunt difficultates pertinentes ad doctrinam confeſſo-*

Digitized by Google

rum non reſtituere bona temporalia, cum adeſt facultas: mortale eſt. quid dicam de honore & fama? mortalia ſunt.

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum eſt æqualibus inæqualia dare, & conſiſtit in tribus: in rebus temporalibus, in eccleſiaſticis, & in iudiciis, honores, & utilitates dandæ ſunt melioribus, & doctioribus. quid dicam de illis qui magna donant uitioſis, & beneficia improbis, & ſceleratis? Peccatum mortale eſt auferens æqualitatem iuſtitię, aggrauatur peccatum, cum indigni exaltantur.

Iudicium temerarium: cum ſit ſine cauſa mortale eſt.

Vindicta.

Vindicta, clarum eſt quid ſit. peccatum eſt mortale per ſeipſum: Conſideranda eſt materia, intentio, & forma.

Simulatio.

Simulatio eſt qua homo mentitur facto: mortale eſt ſicuti mendacium: niſi officioſe, uel iocoſe fiat.

Hippocriſis.

Hipocriſis eſt, qua homo mentitur facto bono, puta cum malus eſt, et uult teneri bonus, mortale eſt. inuehitur contra hoc ſaluator noſter.

Iactantia

Digitized by Google

Iactantia.

Iactantia mendax laus: mortale eſt ſi materia mortalis eſt.

Ironia.

Ironia contraria eſt iactantiæ: mortale eſt, quando eſt cõtra charitatem Dei, aut proximi, quando quis ad decipiendum illa utitur, iuxta illud qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.

Adulatio.

Adulatio eſt exceſſiua laus uerbis, uel factis in communi cõuerſatione, mortale eſt, cum quis laudat aliquem facinoroſum, uel ut noceat ratione finis, uel occaſione, cum quis propter laudem, dat occaſionem peccandi mortaliter.

Litigium.

Litigium contrariatur affabilitati, ueniale eſt.

Auaritia.

Auaritia & iniuſta uoluntas accipiendi, lucrandi, & retinendi, iſta facit uſurarios, latrones, fures, fraudulentos, negociatores: mortale eſt, tranſit in idolatriam, quando quis ponit ſpem ſuam totam in pecunia, idolorum ſeruitus eſt. vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum: radix omnium malorum cupiditas. eſt & auaritia quæ contrariatur prodigalitati, ueniale eſt.

Digitized by Google

Prodigalitas eſt ſuperflua erogatio bonorum ſuorum: ſi pura eſt, ueniale eſt. ſi commiſceatur, ueniali: ſi mortali, mortale eſt.

Donum pietatis.

Fortitudo.

Vitia oppoſita fortitudini, et dono pietatis.

Timor.

Timor de quo hic eſt ſermo, eſt plus timere corpori, quàm animæ, plus principem, quàm Deum: Pilatus, mortale eſt.

Intimiditas.

Intimiditas eſt cum quis nocet ſibiipſi, uel proximo, contra rectam rationem, non timendo pericula, mortale eſt.

Audacia.

Audacia eſt exceſſus uirtutis fortitudinis, uidelicet cum quis immoderate audet: ueniale.

Præſumptio.

Præſumptio ſuperius declarata eſt: quatenus eſt contraria ſpei, at præſumptio quædam alia eſt in moribus, cum quis temerarie facit, quæ ad ipſum nō pertinent, uel ſi pertinent nimis præſumptuoſe, & immodeſte. mortale eſt, aliquando, uidelicet cum quis facit officium eccleſiaſticum non ſuum, & indigne, uel ſi facit ſuum incompta facie, ſuperciliis eleuatis eſt

enim,

Digitized by Google

enim, quando quis aggreditur opus excedens ſuam facultatem.

Ambitio.

Ambitio eſt immoderatus appetitus honoris: mortale eſt, ſi quæritur honor propter aliquod ſcelus, uel cum quis ponit ultimum finem in honore: non curans de Deo, *dummodo honoretur.*

I*nanis gloria.*

I*nnanis gloria; & uana gloriatio: ueniale eſt, niſi glorietur aliquis ſe commiſiſſe mortale peccatum, uel ſit contra charitatem: quia tunc eſt mortale.*

Puſillanimitas.

P*uſillanitas eſt, qua homo ex paruitate animi retrahit ſe a magnis operibus, & honoribus ſuam facultatem non excedentibus: ueniale eſt: ſed eſt mortale, quando homo retrahit ſe a magnis quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Puta ſi adeſſet occaſio pro confeſſione fidei Chriſtianæ retrahere ſe, & nolle mori, S*aluator*. nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.*

M*ollities:*

M*ollicies eſt, qua quis contriſtatur, & deſerit propter delicias humanas uiam uirtutis, ueniale eſt: ſed & mortale, cum quis adeo mollis efficitur animo, ut dimittat neceſſaria ad ſalutem ſuam, & proximi.*

Pertinacia

Digitized by Google

Pertinacia.

Pertinacia eſt qua homo perſeuerat in ſua ſententia plnſquàm oporteat. mortale eſt: conſideranda eſt materia: quia & ueniale poteſt eſſe, naſcitur a ſuperbia, dum non timet poſſe errare, nimium fidens in ſeipſo, &c.

Vitia temperantiæ oppoſita.

Inſenſibilitas.

Inſenſibilitas rariſſimũ peccatũ eſt. quod eſt fugere delectationes naturales ſenſibiles. Peccatum hoc mortale eſt, uidelicet ſi quis horreret in tantum delectationes ſenſibiles, et neceſſaria ad cibandum, ut ſeipſum occideret, aut debitum uxori negaret, & breuiter neceſſaria prætermitteret.

Intemperantia.

Intemperantia eſt ſuperflua concupiſcentia, ueniale eſt, ſed poteſt eſſe mortale ratione actus, & ratione materiæ.

GVLA.

Gula eſt qua quis in delectatione ciborum ultimum finem ponit: mortale eſt: ueniale eſt po ſtea: quando per delectationem pluſquàm deceat, comedit: uitia naſcuntur ab iſta: inepta leticia, ſcurilitas, immundicia, multiloquium, hebetudo mentis: pigritia, ſomnus nimius: fractio ieiuniorum, et multa mala.

Ebrietas

Ebrietas duplex.

Ebrietas.

Præcognita uolita: mortale eſt, peccata naſcentia ab illa mortalia ſunt, non intēta, ueniale peccatum eſt, peccata naſcientia ab illa uenialia ſunt.

Luxuria.

Luxuria eſt peccatū generale animi ſuperfluitatibus uacantis, appropriate tamen uſurpatur pro ſuperfluitate in uenereis, & ſic erit unum de ſeptem capitalibus peccatis.

Adulterium.

Adulterium fractio fidei coniugalis eſt, mortale eſt, materia ualde penſanda, quia graue peccatum eſt. Non concupiſces uxorem proximi tui.

Sodomia.

Sodomia eſt qua cōtra natura uenerea exercentur, Paulus Apoſtolus Romanorum primo.

Inceſtus.

Inceſtus quo inter conſanguineos, ſeu affines carnalis fit commixtio abſque diſpenſatione matrimoniali, peccatum mortale eſt inter grauiora. reſeruatur Epiſcopis.

Stuprum.

Stuprum quo mulier uirgo extra matrimonium defloratur mortale peccatum eſt propriā conſtituens ſpeciem. non mechaberis.

Mollities

Digitized by Google

Mollities triplex.

Defectus perſeuerantiæ de quo ſupra.

Pollitio uoluntaria, peccatum mortale.

Crimen quoque eſt pollutio contra naturam, quo mas patitur ut mulier, ut exponit gloſa interlinearis: primo ad Corinthiorum 6. ubi molles excluduntur a regno Dei.

Beſtialitas.

Beſtialitas eſt qua homo ſimilis beſtijs efficitur comedendo, conuerſando &c. hic ſermo eſt de coitu cum beſtijs mortaliſſimum eſt, communiter reſeruatur Epiſcopis.

Raptus.

Raptus quo perſonæ rapiuntur iniuſte, maius peccatum eſt quam rapina, ſed ſpecialiter appropriatur ad raptum puellarum, mortaliſſimum eſt, communiter reſeruatur Epiſcopis, ſi datur cauſa peccatum ueniale eſt, ſin autem peccatum non eſt.

Iracundia.

Iracundia de qua nunc eſt ſermo, eſt quando quis iraſcitur plus, uel minus, præter rectam rationem. Mortale eſt: iraſci autem ſine præiudicio rationis, & ſine peccato laudabile eſt. naſcuntur ab iſta rixa, tumor, mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasfemia.

Crudelitas.

Crudelitas eſt atrocitas animi in pœnis exigendis,

Digitized by Google

gentis: mortale eſt, quia non ſeruatur ordo. ani mi, & iudicij.

Superbia.

Superbia eſt qua quis ſe exaltat, uel ſupra ſe ipſum it. non cognoſcere a Deo omnia: ſi cognoſcit propter merita ſua: iactare ſe habere quod non habet: auerſio a Deo: initium omnis peccati ſuperbia: ſuperbia cordis, oris, operis et habitus: ſuperbia propter diuitias, propter ſciẽtiã, propter nobilitatem ſanguinis, propter pulcritudinem corporis.

Arrogantia.

Arrogãtia eſt qua quis quod ſupra ſe eſt tribuit, ſiue pertineat ad ſciẽtiã, ſiue potentiã, ſiue ad bonam uoluntatem, ſiue authoritatem: mortale non eſt, niſi uel id quod ſibi uſurpat ſit contra diuinam reuerentiam, ut Rex Tiri, qui dixit, ego ſum Deus, aut contra proximum, ut Tirannis, uel finis ultimus in huiuſmodi elatione ponatur cum quis paratus eſt non obedire præceptis eccleſię, conſiſtit etiam in deſpectione proximi, phariſeus dicebat, non ſum ſicut cęteri hominum &c.

Curioſitas.

Curioſitas eſt immoderatus appetitus cognoſcendi, ſiue per intellectum, ſiue per ſenſum: ueniale eſt: poteſt eſſe mortale, ſi utatur pro ma-

giſtro Dæmone, uel cogit iurare, & iuratur ſecreto tenere.

Leuitas animi.

Leuitas animi eſt qua quis ad omnia licet ſint parua mouetur: ueniale, mortale poteſt eſſe ſi aſſentitur malo quod ſit mortale, ut dictum est.

Amor dominandi.

Amor dominandi, dictum eſt in uerbo Ambitio.

Contemptus.

Contemptus proximi, eſt ſprectio a ſua æſtimabilitate, mortale eſt ratione materiæ, uel ueniale, ſed poteſt eſſe mortale, quia cauſa rixarum irarum, pugnarum, bellorum eſt, & innumerabiliorum malorum: quæ oriuntur ab ijs ſæpæ qui habentur, contemptui.

Per contemptum nolle ſubijci prẹlato, uel maiori legitimo, mortale eſt.

Per contemptum autem uelle peccare, & nolle ſubiici Deo, grauiſſimum peccatorum eſt.

Appetitus laudis.

Appetitus laudis: ſi iuſte, ueniale eſt, ſi autem quis uult laudari per malitiam, & mendacium, mortale eſt, ſecundum quod eſt mendacium, & malitiam, quid gloriaris in malitia.

Omiſſio bonorum.

Omiſſio bonorum quibus auxilium damus no

bis

Digitized by Google

bis ipſis & proximo ſpiritualiter, & corporaliter.

Ieiunium.

Omiſſio ieiunij ab eccleſia inſtituti, mortale eſt in ſubiectis: non ieiunare tempore tribulationis: ueniale.

Oratio.

Non orare omnino, mortale eſt. deficit enim homo a gradu charitatis: orare autem ſine attentione, irreuerentia eſt Deo.

Elemoſina.

Elemoſinam omnino non facere, mortale eſt. aliquando non facere, ueniale: ſi non pauiſti occidiſti.

Peregrinatio.

Peregrinatio deuota ualentibus, & non facientibus, ueniale eſt. ſi ſit ex uoto, & non ſoluitur mortale eſt, ut dictum eſt ſuperius de uoto, &c.

Abſoluturus Sacerdos excommunicatū petat ſi non habet authoritatem ab eo cui ſeruata eſt excommunicatio (ſi poteſt) qua habita aduertat utrum ſolennis, an communis exerceatur abſolutio, ſi ſolenniter debet abſoluere premittat pſalmum aliquem penitentialem cum gloria & Kirie *ter, &* Pater *noſter quatuor uerſiculos ſcilicet ſaluum fac, &c. nihil proficiet &c.*

eſto ei &c. Domine exaudi &c. cum ſuis reſponſoris & orationem. Deus cui proprium eſt miſereri ſemper et parcere ſuſcipe deprecationẽ noſtram & quos, uel, quem excommunicationis chatena conſtringit miſeratio tue pietatis abſoluat per Chriſtum Dominum *noſtrum. Amen.* Præmittat *etiam uerberationem dum hæc dicuntur, niſi in mulieribus, & in locis publicis.*

Item Iuramentum *de parendo mandatis Eccleſiæ, uel abſoluentis, quoties oportuerit & hoc ipſum obſeruandum eſt de ſufficienti ſatisfactione, & ſi forte ſatisfacere nequit dare tenetur cautionem idoneam, quam ſi dare non poterit, det iuratoriam faciẽdi ſatis, dum poterit. His premiſſis poteſt* Pſalmum *Verſiculos, Reſponſoria, & orationem abſoluat dicens. Ego abſoluo te a uinculo excommunicationis, & reſtiuo communioni fidelium,* In *nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Si autem communis fuit abſolutio, ea omitti poterunt quæ ad ſolennitatem pertinent, ad prudentis iudicium.

Ab*ſoluturus ſacerdos a uinculo ſuſpenſionis uel interdicti (quotiens id facere poterit) utatur his uerbis. Ego abſoluo te a uinculo ſuſpenſionis, uel interdicti, & reſtituo uos ſacroſanctis ſacramentis Eccleſiæ, cõmunioni, & unitati*

fidelium

Digitized by Google

ſidelium. In *nomine* Patris *, et Filij, et Spiritus ſancti* Amen. *Demum liberaturus irregularem ab irregulitate, habita poteſtate ab ordinario, ſic dicere poterit.*

Ego diſpenſo uobiſcum ſuper irregularitate ſiue irregularitatibus. ſi quam uel ſi quas contraxiſtis, et habilito uos executioni ordinum et officiorum ueſtrorum in nomine Patris, et Filij, et Spiritu ſancti Amen.

Form*a abſolutionis a peccatis.*

Domin*us* Ie*ſus Chiſtus per ſuam pijßimam miſericordiam te abſoluat, et ego authoritate ipſius qua fungor te abſoluo ab omnibus peccatis tuis, que mihi modo confeſſus es, et quorum memoriam non habes, ut ſis abſolutus hic et ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, habeaſq; uitam æternam, et uiuas in ſecula ſeculorum.*

Paſsio Domini noſtri I*eſu Chriſti, et merita beatæ Marię sẽper Viginis; et omniũ ſanctorum et ſanctarũ Dei et quicquid boni feceris, et intẽdis facere, et mala, que ſuſtines, et patienter ſuſtinebis, ſint tibi inremisſionem peccatorum tuorum in augumentum gratiæ, et premium uitę æterne amen, demum iniungat pænitentiam, pro ut uidebitur.*

FINIS.

99851583

Digitized by Google

24

Digitized by Google